



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio XXIX. De Absolutione Sacramentali in periculo vel Articulo mortis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

non poterunt tamen se invicem absol-  
vere à Casibus reservatis, nisi fortè id  
facerent per ratihabitionem de præ-  
senti, quam sufficere ad validè & licitè  
absolvendum ait *Syl. ver. Confess. Q. 6.*  
U. Quid intelligis per Ratihabitionem  
de presenti.

S. Ipsum consensum interpretativum  
superioris: itaq; Ratihabitione de præ-  
senti tunc erit, quando rationabiliter  
dicere poterit Confessarius, scio quòd  
meus Prælatus sit contentus ut ego  
nunc absolvam hunc pœnitentem à  
reservatis, & hoc per ea, quæ ex ipsius  
mente cognovi &c.

### QUÆSTIO XXIX.

*De Absolutione Sacramentali in Pericu-  
lo vel Articulo Mortis.*

Vicar. **D**Um recordor illius textus  
Sacrae Scripturae *super eg-  
ros manus imponent & benè habebunt,*  
moveor ad quærendum, an in Absolu-  
tione Sacramentali sit necessaria ma-  
nûs

nūs Impositio super caput Pœnitentis  
 S. Laudabilis est modus ut peccato  
 flexis genibus confiteatur peccata sua  
 (quando potest) & Sacerdos imponat  
 manum super caput ejus dum absolvit  
 in signum Potestatis Clavium, quæ  
 Cæremonia est antiquissima, olim  
 adhibebatur in pœnitentijs publicis,  
 hinc ab aliquibus Sacramentum Pœ-  
 nitentiæ appellatum fuit *manus im-  
 positio*: attamen dico hanc Cæremoniam  
 estò fuerit, ac defactò apud aliquos  
 inusu, non esse necessariam.

Q. Si veniendò ad infirmum in finem  
 excipiendi ejus Confessionem specta-  
 res eum valdè durum ac renuentem  
 confiteri quid faceres?

S. Scio apud fideles plerumq; hanc esse  
 se existimationem, ut si Medicus spiri-  
 tualis suadeat confessionem Sacramen-  
 talem, æger concipiat sibi annuntiam  
 mortem, non advertens quòd si ani-  
 mam negligat, nec corpus salvare po-  
 terit; quare representarem illi causam

in-

infirmorum humanarum ut plurimum esse delicta, & ideo primam, tanquam saluberrimam medicinam debere esse purgationem propriæ conscientie per dolorem peccatorum Confessionem, cum primo ad instar Centurionis ad Medicum celestem recursum, habitâ reflexione supra illum Sacr. Script. textum *fili in infirmitate tua ora Dominum, & ipse te curabit;* quem modum servare dignatus fuit etiam Clementissimus Redemptor dum leprosos mundavit, & paralyticum sanavit, remittendo prius filio penitenti & confidenti peccata, & postea mandando ut lectum suum tolleret, atq; iret in domum suam: communicarem item infirmo verba illa ipsiusmet spiritus maligni ad quæ proferenda ipsum coëgit, cuiusdã piæ animæ frequens contritio & Sacramentalis Confessio, & sunt sequentia: *nihil est quod tantum nobis noceat quam frequens Confessio:* merito proinde Sanctus Cyrillus ipsam appellat malleum Judicij.

dicem flectentem, & furorem ejus sedantem: & quanta quæso crudelitas ac sævitia in se ipsum, siquidem scribente moralitatis Magistro, *nulla est major afflictio quam conscientia delictorum*, & aurea Chrysoctomi penna expressit, quod *Conscientia rea, semper sit in pena*. Quia verò conversio ad Dominum petit exclusionem tarditatis & de die in diem dilationis, idcirco severè adhortabor infirmum, ut divino correspondeat auxilio ac vocationi, promptè & humiliter recipiendo medicinam spirituales seu Sacramentum eò tempore quo existit dispositio, antequam Intellectus obtenebretur phantasmatis, & crescentibus doloribus decrescat voluntatis promptitudo aut plane extinguatur ejus bonum velle; in quem finem severè inculcabo illud Augustini *DEUS conversioni Indulgentiam promisit, sed dilationi diem crastinum non promisit*, & adducam plurimorum penitere renuentium aut differenti-

um infelicem de hoc mundo transitum  
per mortem subitanam, cum addita-  
mento quòd *negligentes DEUS deserere*  
*consuevit* utpote quorum cordi impres-  
sum non est mandatum Domini de vi-  
gilando assidue. Quòd si advertero dif-  
ficultatem & aversionem à Sacramen-  
to procedere ex multitudine & gravi-  
tate delictorum ducam peccatorem ad  
abyssum Misericordiæ divinæ, osten-  
dendo per varia exempla quàm benig-  
nè respiciat ac suscipiat cœlestis Sama-  
ritanus animas peccatrices, quæ cum  
contritione & lacrymis vulnera sua ex-  
hibent, & quæ cum proposito efficaci  
vitam iniquam emendandi divinamq;  
Majestatem opitulante suâ gratiâ non  
amplius offendendi, propria confiten-  
tur delicta: Dicam deniq; quòd ad cor-  
rectionem omnium sufficet genero-  
sum velle & ad mutationem Divinæ  
Sententiæ operum commutatio seu vi-  
tæ emendatio.

V. Dicta tua manifestant zelum & de-  
fide-

derium exercendi officium solliciti operarij in vinea Domini, jam quæro. An liceat in aliquo Casu absolvere Sacramentaliter pœnitentem cum solis verbis *absolvo te*.

S. Quàmvis cum his solis verbis Sacramentum foret validum, siquidem conformiter ad alibi dicta, sola verba *absolvo te* sunt essentialia formæ; nihilominus dico urgente etiam necessitate non licere in absolutione Sacramentali uti solis præfatis verbis, adeoque teneo fore peccatum si relinqueretur seu omitteretur in forma absolutionis *ly à peccatis* ut notant *Suar. Disp. 19. de Sacramento Pœnit. Sect. 1. num. 24. Bonac. Disp. 5. de Sacrament. q. 4. punct. 2. & alij*; & hoc ideò, quia præxis & perpetuus Ecclesiæ usus fundatus in verbis CHRISTI induxit obligationem & declaravit formam cum talibus verbis esse adhibendam, unde cum simus in materia gravi, sitq; gravis obligatio qui contra faceret grave committeret peccatum. *V. Quo-*

U. Quomodo peccatum? quandoquidem proferret illa quæ sunt de essentia formæ & omitteret alia verba ex rationabili causa secluso contemptu?

S. Scio multos etiam Theologos asserere dicta verba à peccatis esse de essentia formæ, nec ignoro Casistas velle esse peccatum mortale uti formam de qua controvertitur inter Doctores, sed quidquid sit de hoc, ratio supra data satis indicat contrahi peccatum mortale.

U. Nonne admittes urgente necessitate sacerdotem posse simul unicam absolutionem plures absolvere?

S. Admitto v. g. imminente naufragio, vel in bello, vel in repentino incendio, aut inundatione &c. idque rationabiliter, quia causa tam physica quam moralis applicata simul pluribus subjectis dispositis, producit in singulis effectum, ut patet de eadem lege eidem Communitati publicata, quæ in omnibus & singulis producit suum effectum.



fectum obligationis, adeoque eadem pariter forma Sacramenti pluribus dispositis applicata producet in singulis suum effectum nempe remissionem peccatorum.

U. Ergo etiã admittere debebis, quod urgente necessitate, quando nimirum plures essent absolvendi, & periculum esset in mora possit Sacerdos uti solis verbis *absolvo te*.

S. Non: quando enim admitto unicam absolute plures posse absolvi, intelligo pro forma assumi debere *ly ego vos absolvo à peccatis &c.* Oppositum in mora periculum non adverte quis qui potest proferre verba *absolvo te*, potest etiam facillè addere *ly à peccatis*, nec in prolatione posteriorum verborum infumitur tantum tempus, ut ex mora immineat periculum, ac proinde cum mora nullius sit considerationis, necesse est adhibere formam paulò antè expressam tanquam certissimã,

U. Etiam si fortè quispiam diceret formam

nam Sacramenti Pœnitentiæ cum solis verbis *absolvo te*, esse dubiam, adhuc tamen licitè in aliquo Casu adhiberi posset, sicut quandoq; necessitate urgente licitè adhibetur materia dubia.

S. Adhibetur utique licitè, sed tunc, quando vel absolutè, vel factè sine gravi incommodo non potest haberi certa, aut in Casu præsentis potest haberi forma semper certa *ergo &c.*

U. Occurrit dubium propter supra dicta: an videlicet quando plures simul absolventur, nedum habeantur plures effectus Sacramentales, sed etiam plura Sacramenta?

S. Dico haberi etiam plura Sacramenta, quia forma quando ordinatur ad plura subjecta & profertur in plurali, est virtualiter multiplex, & hæc virtualis multiplicitas sufficit in moralibus ad multiplicanda composita moralia seu Sacramenta, quia constitutum formale morale, quale est forma Sacramenti communicatur solum morali

li modo subiecto, licet in physicis ad multiplicanda constituta, necesse sit etiam formaliter multiplicari ipsa constitutiva formalia.

V. Cum ergo iuxta te verba *absolvo te*, sint essentialia formæ, his duntaxat prolatis erit absolutio valida.

S. Erit.

V. Si autem pœnitens esset ligatus non solum vinculis peccatorum, sed etiam Censurarum?

S. (Quidquid dicant aliqui) sentio etiam tunc fore absolutionem validam per ly *absolvo te*, si videlicet dicta verba ex intentione Sacerdotis ordinata fuerint ad tollenda vincula tam Censurarum quàm peccatorum, quo Casu absolutio à Censuris erit prior naturâ absolutione à peccatis.

V. Accidit nuper, quòd adveniente Confessario & inchoante formam absolutionis pœnitens exspiraverit, quò factò orta fuit inter circūstantes quosdam viros doctos controversia, an pœni-

nitens censendus sit absolutus? quidam allegantes *Bonac. Disp. 2. de Sacra. Quas. 2. p. 11. 6. n. 26.* negabant firmiter esse absolutum, propterea quòd Sacramentum nequeat causare suum effectum quamdiu significatio formæ non existit, hanc autem non existere quãdiu verba completa non sunt patens est, igitur cùm forma fuerit solummodo inchoata hunc Pœnitentem sic extinctum, non esse absolutum. Alij dicebant oppositum mordicùs contententes censendum esse absolutũ propterea, quia in tali casu *DEUS supplet*, ex sua infinita misericordia & pietate secundum quam postulat etiam peccator contritus post absolutionem Sacramentalem seu susceptum Pœnitentiæ Sacramentum, ut Divina Majestas eum plenius & perfectius absolutum in cœlo habere dignetur: & cùm sumus in moralibus, afferebant applicationem secundum aliquas partes, esse moraliter applicationem secundum

to

totum; insuper quidam argumentabatur sumptâ paritate de Baptismo, quod sicut ad conficiendum Sacramentum Baptismi sufficit, si proferantur solæ primæ partes tunc, quando fit ablutio, estò reliquæ proferantur ablutione completâ similiter quoq; sufficit ad hoc ut pœnitens absolvatur, si vivat tunc, quando aliquid ex essentialibus verbis, seu aliquæ partes proferuntur, ita ut quemadmodum terminatâ ablutione posteriùs prolata verba adhuc dicuntur moraliter coëxistere ipsi ablutioni, taliter quoq; nempe moraliter dicenda sint coëxistere posteriora verba formæ Sacram. Pœnit. ipsi pœnitenti vivo, adeoq; sicut forma potest tribuere materiæ suum effectum formalem etiamsi coëxistat ipsi solùm secundùm aliquas sui partes, ita quoque possit Sacram. Pœnit. causare suum effectum, etiamsi tantùm secundùm aliquid sui seu aliquas solùm partes forma coëxistat subjecto, propterea quòd non

non requiratur major coëxistentia inter subjectum & Sacramentū quàm inter materiam & formam. Cui ex his duabus opinionibus adhæres ?

S. Secundæ, quam etiam amplectuntur sequaces Doctrinæ Angelicæ, juxta Doctrinam *Sancti Thomæ* traditam in 4. Dist. 3. art. 2. Adverto autem diversam esse rationem de Sacerdote si moreretur antequam compleret verba essentialia absolutionis, in tali enim Casu non conficeretur Sacramentum adeoq; nec Pœnitens remaneret absolutus, siquidem non poneretur tota forma essentialis, quæ tamen supponitur posita, quando moritur Pœnitens eâ non dum completâ.

V. Suppono quòd Confessarius valeat quandoque Pœnitentem à longè absolvere.

S. Omnino: dummodò non sit tanta distantia, quæ tollat moralem præsentiam seu communicationem vocis, nam quando potest haberi vocis seu verborum

rum communicatio, & consequens collocutio, potest etiam exerceri. Iudicium Sacramentale praesentia modo.

U. Ergo posset Sacerdos v. g. peste infectos absolvere ex fenestra.

S. Si hoc fieret ad vitandum infectionis periculum, & peste infecti ad ipsum venire aut deferri valerent, posset sicut enim Judex in foro exteriori tempore pestilentiae potest ex fenestra exercere munus suum, & proferre sententiam ut notat *Franoiscus Ripa Tract. de pest. c. de priv. peste infecto*: ita etiam Sacerdos poterit ex fenestra exercere munus suum & Iudicium Sacramentale; quo Casu liberum erit poenitentiae vel omnia vel aliqua solum delicta confiteri sive mortalia quae habet cum venialibus, sive venialia tantum.

U. Quid autem agendum in Casu, quo infecti peste neque per se accedere valent, neque haberent aliquos quorum auxilio ad conspectum Confessarii deferri possent?

S. Tunc

S. Tunc si Confessarius fuerit de numero illorum quibus ex officio incumbit administrare Sacramenta, tenebitur ejusmodi oviculas debiles & desolatas accedere, solari ac pascere verbis salutaribus, quia ratione officij tenetur etiam cum periculo propriae vitae Sacramentum Pœnitentiæ, seu Sacramenta, suæ curæ commissis administrare.

U. Occasione hujus materiæ quæro an pestilentia infecti gaudeant Privilegiò S. Concilij Trid. Sess. 14. c. 7. in ordine ad absolutionem Sacramentalem?

S. Existimo gaudere, adeoq; posse absolvi à quocunq; Sacerdote simplici.

U. Fortè in defectu Approbati?

S. Etiam in præsentia Approbati, dummodò pestilentia aut infirmitas sit talis, quòd ipsa infecti & gravati ut plurimum moriantur & consequenter non morbo curabili sed quasi incurabili laborare censeantur.

U. Concedes utique hoc Privilegium  
ex-



extendi etiam ad illos qui morantur in loco Pestilentiae estò nec dum sint pestes infecti.

S. Non : tales enim sunt tantum in periculo, non verò articulo Mortis, pestes autem infecti quia habentur quasi pro inevitabiliter morituris propter Causas mortis ita circa ipsos applicatas, quae eam reddant moraliter certam, idcirco tanquam in articulo mortis constituti gaudent memoratò privilegio, estò aliquando per accidens mortem evadant.

V. Igitur periculum & articulus Mortis, non sunt idem in ordine ad absolutionem Sacramentalem.

S. Nequaquam : Observo nihilominus aliqua Privilegia concernentia absolutionem Sacramentalem esse communia tam articulo quàm periculo mortis, inter quae est *cessatio reservationis* de qua in cap. *Hos qui de Sententia Excommunicationis*. Quare mulier quae primò paritura est non potest absolvi à non

non approbato, similiter qui periculofam navigationem est susceptur<sup>9</sup> &c.

U. Nonne eadem militat Causa nempe periculū damnationis æternæ tam in articulo quàm periculo mortis?

S. Utiq; periculum damnationis æternæ urgētius se habet in articulo quàm periculo mortis: Præterea periculum mortis non est tale quod ex natura sua excludat omne remedium ordinarium sed si aliquando excludit per accidens est: at articulus mortis ex natura sua quodammodo excludit omne remedium ordinarium & ideò debuit magis privilegiari ità ut provideretur de omni remedio extraordinario possibili, ex quo etiam patet quòd Ratio impulsiva privilegiandi articulum & periculum mortis non sit eadem in utroque.

U. Dic mihi ergo, quinam censendi sint in articulo & quinam in periculo mortis constituti?

S. Illi censendi sunt constituti in articulo mortis, qui sunt morti propinqui,

qui, ita ut ad sint Causæ five extrinsecæ five intrinsecæ ex quib<sup>9</sup> brevi morte inferenda expectetur; quare incipiente Medico desperare de salute infirmi, incipit infirmus esse in articulo mortis, tunc enim appropinquat morti seu mors respectu ipsius est in fieri. U. Ergo damnati ad mortem per Sententiam Judicis, vel qui ita subiciuntur externæ violentiæ, ut inde expectetur mors, censendi sunt in articulo mortis constituti.

S. Omnino: necesse autem est quod Causæ extrinsecæ illativæ mortis sint circa aliquem specialiter & determinatè applicatæ, & ordinatæ ad tollendam vitam ipsius, tunc enim judicatur mors esse in fieri: hinc dico non esse in articulo mortis illum qui dimicat in prælio, estò probabile sit quod occidatur, ideò quia Causæ illativæ mortis non sunt circa ipsum specialiter applicatæ, erit itaq; solum in *periculo* mortis, quod considerari potest dupliciter vel,

vel, ut *presens* vel ut *imminens*: tunc est *presens* quando de presenti adsunt Causa quæ possunt mortem inferre ut cum quis gravi morbo laborat &c. tunc autem est solum *imminens*, quando de presenti quidem non adest, iudicatur nihilominus probabiliter eventurum, sic se habent tempestas & naufragium respectu longæ & periculosa navigationis.

*V.* Nonne sufficit etiam periculum imminens, ut quis fruatur Privilegijs eorum qui reperiuntur constituti in periculo mortis.

*S.* Sufficit, quod colligo ex cap. *Quamvis de Senten. Excomm.*

*V.* Dixeras paulò antè Confessarium posse absolvere pœnitentem distatè, jam quæro, an imminente periculo, si moribundus peteret absolutionem à Sacerdote existente in alio cubiculo, possit ipsi dari?

*S.* Ex rationabili & urgenti Causa potest: ex quo enim pœnitens potest per-

ci-

cipi sensu à Sacerdote tanquã loquer  
& se accusans, habetur pro sufficien  
ter præsenti in ordine ad Sacramentu  
Pœnitentiæ.

V. Adverte! qui est in alio cubiculo ces  
setur absens cùm subtrahatur ab aspe  
ctu, unde etiam illud quod fit ab  
qui existit in uno cubiculo, non ces  
setur factum in præsentia alterius qu  
existit in alio.

S. Quòd subtrahatur ab aspectu per  
ciciens se habet, neq; obstat: quia præs  
sentia pro Sacrament Pœnitentiæ non  
requiritur in ordine ad visum, sed in  
ordine ad auditum alioquin Sacerdos  
cæco pœnitens sufficiẽter præsens non  
esset, & consequenter ab eodem dato  
absolutio non valeret, & nunquid non  
obscura impedit nẽ percipiantur visu  
circumstantes, per hoc tamen non de  
finunt esse præsentes: similiter omnia  
quæ sunt in aliqua domo, dicuntur esse  
se præsentia illi qui est in domo, licet  
non omnia ab ipso conspiciantur, huc  
qua-

quadrat illud D. Melliflui: *vide quia non solò visu rerum presentia comprobantur.* Quod autem factum in uno cubiculo, non censeatur factum in presentia alterius, qui est in altero cubiculo, hoc verum est de eo, quod fit in ordine ad aspectum, non verò de illo, quod fit in ordine ad auditum, & quando operans factum suum ordinat ad alterum, ut illud auditu percipiat: hinc quando existens in uno cubiculo conviciatur alteri existenti in alio, suamque locutionem ad illum dirigit facit eidem presentialiter injuriam.

**V.** Si infirmus in uno cubiculo conderet Testamentum, & testes essent in alio, quàmvis audirent vocem testatoris rogantis, ut suæ ultimæ voluntatis testes esse vellent, attamen non haberentur pro presentibus, ac proinde eorum testimonium non valeret, ergo neq; in Casu Confessarius erit sufficienter presentis pro administrando Pœnitentiæ Sacramento.

**T**

**S. Non**

S. Non currit paritas : nam ad hoc ut aliquis possit esse Testis pro Testamento, debet non solum auditu percipere vocem Testatoris, sed etiam intueri ipsum Testatorem propter deceptionem quæ posset accidere, siquidem posset quispiam fingere vocem Testatoris : propterea non sufficit præsentia in ordine ad solum auditum, aut respectu Sacramenti Pœnitentiæ sufficit ejusmodi præsentia, quia Confessarius suam absolutionem Sacramentalem dirigit ad illum, ejus accusationem audit.

V. Videtur quòd ad verificandam formam Sacramenti Pœnitentiæ debet Pœnitens esse demonstrabilis à Sacerdote: nam in forma continetur vocabulum demonstrativum, qui autem est in alio cubiculo, non potest demonstrari igitur &c.

S. Utiq; non potest demonstrari ad oculum, potest tamen demonstrari ad auditum, quod sufficit : atq; ita in forma

ma Sacramenti pronomen *Te* demonstrabit, quòd non alteri, sed personæ eum qua Sacerdos loquitur absolutionem impendat: sensusq; erit Ego absolvo te qui mediante propria operatione vitali locutionis, præmisisti accusationem de tuis peccatis.

*V.* Maneat ergo tanquam verum ejusmodi pœnitentem taliter delicta sua manifestantem posse absolvi: si autem pœnitens in periculo mortis constitutus advertat se nullum habere peccatum mortale, eritnè tunc obligatus ad confitendum saltèm aliquod veniale?

*S.* Sicut nullius peccati mortalis conscius, tenetur tamen ex charitate erga se ipsum in periculo mortis, actum contritionis elicere, ità quoq; ex eadem ratione obligatur ad petendam absolutionem confitendo saltèm aliquod peccatum veniale, quia posset esse quòd haberet mortale quale ignorat, sicq; faciendo evitabit periculum æternæ damnationis.

T 2

*V. Mul.*



*V.* Multa adhuc occurrunt circa praesentem materiam proponenda.

*S.* Et ego observo multa hic esse scitu necessaria.

*V.* Dic mihi ergo an moribundus loqui non valens, sed tantum per signum petens absolvi fit capax Sacramenti Pœnitentiæ?

*S.* Omnino: (conformiter ad alibi dicta) quando enim pœnitens exhibet sufficientem materiam supra quam cadit absolutio tunc potest absolvi, sed sic est quod non potens loqui & exhibens signa doloris exhibeat materiam sufficientem ergo &c.

*V.* Quomodo sufficientem?

*S.* Ut moraliter certum sit hanc esse materiam sufficientem, sufficiat desuper omnium fermè DD. Consensus, qui reddit rem moraliter certam, unde etiam conveniunt in hoc, quod tunc moribundo danda sit absolutio absolutè & non sub conditione. Præterea materia Sacram. Pœnit. sunt pec-

cata & dolor de illis, ita tamen ut manifestentur eò modò quò manifestari possunt, illa autem signa manifestant dolorem & manifestant etiam peccata eò modò quò possunt manifestari, non enim apparet quomodo manifestari possit dolor conceptus ex peccatis commissis absq; aliquali manifestatione peccatorum, quia cum dolor sit actus voluntatis dolentis, necessario debet tendere in aliquod objectum de quo doleat voluntas, hoc autem in presenti non est aliud quàm peccata, ergo &c. Adde illud Augustini: *tunsi pectoris est aliqua manifestatio peccati in corde latentis.*

U. Unde colligis quod tunc voluntas non doleat de alio quàm de peccatis?  
S. Ex hoc quia illa signa dirigit ad Confessarium, quæ directio facit, ut determinantur in esse sensibili, sintq; signa doloris concepti ex peccatis, ac proinde Pœnitens ostendendo dolorem, ostendit eò modò quo potest peccatū.

T 3

U. Si

U. Si autem moribundus illa signa  
dirigeret ad Confessarium v. g. si loqui  
& audire impotens oculos in Coelum  
levaret suspirans, vel Imaginem ali-  
quam respiceret, & similia signa de-  
votionis exhiberet praesente Sacer-  
dote quid tunc agendum?

S. Sentio cum *Laymanno lib. 5. The-  
moralis Tract. 6. c. 8. num. 4. Bonac. Dis-  
p. 5. de Sacram. Quaes. 5. Sect. 2. par-  
num. 8.* & alijs dandam esse tunc Sa-  
cramentalem absolutionem moribun-  
do saltem sub conditione; & ratio est  
tunc quia illa signa adhibentur a mo-  
ribundo in ordine ad obtinendum re-  
medium spirituale, adeoque virtualiter  
& interpretativè sunt ordinata ad ab-  
solutionem Sacramentalem: tum quia  
in illo statu seu articulo praesumitur  
quilibet esse memor propriae salutis,  
adeoque velle Sacramentaliter absolvi,  
& sic salutem consequi, ac extra peri-  
culum constitui.

U. Ponamus casum quod Sacerdos re-

per-

penitentiæ apud Altare post recitatam Confessionem destituatur sensibus, estne tunc absolvendus?

S. Absolvi potest sub conditione, quia cum accedat ad tantum sacrificiũ præsumi debet quòd confessionem pronunciarì consuetam, recitaverit cum conversione ad DEUM & quãdam internã displicentiã seu dolore de suis peccatis: Occasione hujus casus adverte etiam, quòd si Sacerdos audiret confessionem infirmi & iusta de causã differret absolutionem, possit ipsum absolvere in regressu, etiam quando inveniret jam sensibus destitutum, & Ratio est, quia Pœnitens subministravit sufficientem materiam pro Sacramento, satisq; est quòd materia & forma sint simul moraliter.

U. Fortè hoc intelligis itã ut eadem die quã fuit facta peccatorum confessio sit quoq; data absolutio.

S. Non: impendi potest absolutio etiam uno alterovè die transacto, ratio-

nabiliter namq; præsumi potest, quod  
 Pœnitens qui prius fuit benè disposi-  
 tus, adveniente mortis periculo vo-  
 luntatem non retractaverit sed potius  
 vehementius indoluerit de peccatis,  
 ac proinde absolvendus est non secus  
 ac Baptizandus ille, qui in amentiam  
 cecidit, & etiam ante amentiam lon-  
 go tempore, baptizari petijt.

*U.* Cùm discurremus de signis doloris,  
 quæro an possit absolvi moribundus  
 quando dubitatur an signa exhibita  
 proveniant à dolore de peccatis, an ab  
 angustia mortis?

*S.* Existimo posse absolvi sub conditio-  
 ne: nam quando urget necessitas, est  
 licitum ministrare Sacramentum ne-  
 cessitatis, quale est Sacramentum Pœ-  
 nitent. cum materia etiam dubia; con-  
 ditio autem quæ adhibetur tollit om-  
 nem irreverentiam respectu Sacram.

*U.* Sit autem Casus quod moribundus  
 in absentia Confessarij dederit signa  
 doloris, postea autem in adventu illi-

us sensus amittat, putasne esse absol-  
vendum?

S. Hunc casum alibi expressi & quid  
eo occurrente agendum sit adverti,  
nihilominus etiam nunc dico, si quis-  
piam de talibus signis Pœnitentiæ te-  
stimonium perhibeat Pœnitens absol-  
vendus est, quod deduco ex *Conc. Au-  
rasi*: 1. *Can. 11.* relato in cap. qui re-  
cedunt. 26. q. 6. ubi habentur sequen-  
tia: *subito obmutescens, baptizari aut  
pœnitentiam accipere potest, si volunta-  
tis præterita testimonium aliorum verbis  
habet: & in Conc. Carthagi: IV. Can. 36.  
habetur: si infirmus pœnitentiam petens  
obmutuerit vel in phrasesim inciderit,  
dent testimonium qui eum audierunt, &  
accipiat pœnitentiam: eandem Doctri-  
nam exprimit luculenter D. Leo Papa  
Epist. 89. quæ etiam traditur in *Rit.  
Rom. jussu Pauli V. edito A. 1615. tit. de  
Sacra. Penit. §. penult.* Ratio autem est  
in promptu; quia moribundus per da-  
ta signa, exhibuit illud quod est neces-*

T s.                      sa-

sarium ex parte Pœnitentis pro Sacramento; nec obstat quòd illius accusatio deducatur per Testes in Judicium, quia cùm hoc Sacramentum sit institutum per modum Judicij, satis erit si causa seu accusatio taliter in Judicium deducatur coram determinato Sacerdote, quando non potest deduci per ipsum Pœnitentem, præsertim si Pœnitens quantum est de se, faciat quod potest, tunc enim Testes censentur habere tacitam commissionem ab illo, ut nomine ipsius deducant, & præsentia Testium facit, quòd confessio seu accusatio virtute ratificationis fiat Sacerdoti præsentis: Hinc Teste *Archiepiscopo Armacano apud Conink Disp. 1. de Sacram. Penit. & Opusc. de Absolut. moribun. num. 61. Clemens VIII* declaravit, non fuisse suam intentionem aut propositum damnandi vel prohibendi, nè Sacramentalis absolutio impendatur tali casu incidente.

U. Possset autem evenire quòd nuncia-

re-

retur Sacerdoti absenti Pœnitentem moribundum exhibuisse signa doloris, qui tamen accurrens & præsens nullum inveniret id ipsum in præsentia illius confirmantem, quomodo ergo tunc se gerere deberet?

S. Oporteret absolvere moribundum, quia Confessio illius manifestata per signa, & ad Sacerdotem superventurum ordinata censetur moraliter durare, quòd autem testificans sit moribundo præsens merè materialiter se habet.

U. Quot autem Testes existimas requiri ad testificandum de signis doloris à moribundo exhibitis.

S. Existimo in tali casu sufficere etiam unicum Testem, quia in ijs quæ nemini nocent, & alteri prodesse possunt, unicus Testis probat: unde cùm simus in Casu in quo de nullius agitur præjudicio sed de favore moribundi absq; ulla difficultate sufficiet unicus Testis

U. Etiamnè Hæreticus aut infidelis?

T 6

S. Eti-



S. Etiam : quia non est præsumendum quòd in tali Casu mentiatur, & potest hic dici, quòd cum omnia vincat veritas, vincat etiam Intellectum Infidelis ut in ipsam veritatem consentiat eamq; fateatur.

U. Occurrit mihi dubium : si unus Testis fidelis assereret moribundum petiisse Sacramentum per signa doloris, & alter præsens diceret non petiisse, nunquid in hac contrarietate dictorum deberet considerari qualitas Testium, & magis dignus præferri?

S. Omnino regulariter loquendo: attamen cum simus in Casu in quo agitur de favore animæ, & de succurrendo constituto in extrema necessitate, nulliq; præjudicetur, poterit Sacerdos tunc sub conditione ministrare Sacrament. Pœnit. Testimonium namq; pro utraq; parte utramq; reddit probabilem, adeoq; potest Minister sequi eam quæ placuerit, qualis erit citrà dubium affirmans.

U. Cur

V. Cur quæso interponis ly nulli<sup>q</sup> præjudicetur?

S. Ideò quia apud quosdam lego non sufficere unicum Testem pro confutando Baptismo si agatur de præjudicio tertij v. g. de acquirenda Hæreditate relicta alicui sub cõditione *si baptizatus fuerit* quàmvis hæc limitatio non placeat communiter DD.

V. Discutiamus parùm verba *Concil. Ayrasi*: nonnè dicitur quòd moribundus absolvi poterit *si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habeat*: & in Epistola Leon. quòd *testimonia fidelium circumstantium prodesse debent*? ergo non sufficet unicus Testis.

S. Intelligo requiri quidem aliorum testimonium, sed non in hoc sensu, quòd plures collectivè debeant testificari, verùm ut unus aut alter de adstantibus testificetur, quia cùm ipse moribundus non possit suam voluntatem explicare debet ab alijs juvari sive uno sive pluribus.

V. Quo-

U. Quomodo ergo te geres circa moribundum qui nullum signum dedit aut dat doloris?

S. (Quidquid dicant aliqui) ego amplector Sententiam tenentem quòd tunc moribundus si pié & Christianè vixit, absolvi possit sub conditione: nam quando probabile est quòd interueniat materia sufficiens pro Sacramento Pœnit. est etiam probabile quòd possit ministrari & confici, in hoc autem casu est probabile quòd interueniat materia sufficiens, quia probabile est, quòd moribundus habeat internum dolorem de peccatis, siquidem mors imminens facit cogitare de propria salute & applicare remedia quæ possunt applicari, & probabile etiam est, quòd conetur extrinsecùs suum dolorem & desiderium exprimere, si non aliquo nutu aut signò, saltèm intuitu aut corporis motu, quàmvis ab adstantibus non percipiatur, vel quia non advertunt, vel quia arbitrantur esse

mo-

motum patientis naturæ, unde adest aliqua exterior accusatio quàmvis non percipiatur à præsentibus, & ideò *Marchant. part. 1. Tribunal. Sacram. Tract. 4. tit. 4. quest. 3.* hoc de se ipso refert: *sensibus omnibus destitutus eram excepto auditu, ratione autem & iudiciò firmò & rectò intus utebar, ità ut cum me deficere, & ex medico foris loquente, & ipsius naturæ debilitate perciperem, firmiter me DEI Misericordia commendabam, & piùm affectum aliquem foris conabar prestare; unde mirum est si fortè gemitu aliquo vel respiratione, vel doloris ungu illud non ostenderim, quàmvis adstantes non notarent, nisi fortè ut errant signa naturæ patientis: & subdit se ex hoc fuisse motum ad tenendã hanc opinionem animæ favorabilem & ad praxim deducendam si foret occasio; tale quid refert de se etiam quidam alius pius ac doctus Sacerdos. Existimo autem (prout supra apposui) sic agendum respectu hominum proborũ curam*

1514

1515

1516

ram animæ suæ habentium, & eorum  
 qui consueverunt frequentare Confes-  
 sionem, quòd lego nedum apud Di-  
 versos Theologos sed etiam in Memo-  
 riali Confessorum edito jussu illius  
 Præfulis qui postea fuit Gregorius XV.  
 & tunc Confessarius non solum potest  
 sed etiam debet absolvere moribun-  
 dum sub conditione, nam continge-  
 re possit illum esse gravatum delictis  
 mortalib⁹ & non habere contritionem.  
 V. Sit satis.

S. Prout placet.

*Forma Absolutionis plenarie à  
 pena & à culpa, danda in Articulo  
 Mortis Confratribus Habitūs B. Vir-  
 ginis de Monte Carmelo.*

*Dicto Confiteor &c. Confessor subjungit.*

**D**ominus noster JESUS CHRISTUS  
 DEI Filius, qui omnia mirabilia  
 tormenta pro peccatoribus subiit, ut  
 eos ad vitam revocaret, qui salvat om-  
 nes & neminem vult perire; nec mor-  
 tem

tem peccatorum, sed vitam semper in-  
quirit; ipse nunc suâ pijsimâ miseri-  
cordiâ te respiciat; avertat omnem i-  
ram & indignationem, atq; per indul-  
gentissima Misericordiâ suâ viscera  
tibi remittat universa delicta, iniqui-  
tates tuas, & quascunq; pœnas ex ri-  
gore maximæ Justitiæ suæ. Ego autem  
ipsum Domini Nostri JESU CHRISTI in-  
dignus famulus & Minister, & ex Au-  
thoritate SS. Apostolorum Petri & Pau-  
li, ac S. Romanæ Ecclesiæ, item ex  
Privilegijs per Summos Pontifices con-  
cessis Fratribus & Confratribus, San-  
ctissimæ Matris MARIE de Monte Car-  
melo, atq; ex licentia, potestate, &  
commissione mihi à meis Superioribus  
imposita, in quantum possum, & de-  
beo, declaro te consequi Indulgenti-  
am plenariam, & remissionem omni-  
um peccatorum tuorum, si hâc tamen  
vice è vita migraveris; aliàs eandem  
tibi reservo Indulgentiam pro ultimo  
Articulo mortis tuæ, In Nomine Pa-  
tris

tris & Filij & Spiritus Sancti. AMEN  
 Item: Ego eâdem Authoritate te  
 dispenso super omni negligentia, &  
 quam contraxisti istum Sacrum Habitu  
 tum deferendo, & declaro, ac signifi  
 co te creaturam DEI fore absolutam  
 hic & ante Tribunal Domini Nostri  
 JESU CHRISTI de omnibus pœnis tibi  
 in purgatorio debitis, propter pecca  
 ta quæ contrâ Bonitatem DEI vivi com  
 misisti, teq; manifesto restitutam illi  
 innocentia, quâ in Baptismo per Sa  
 crum Salvatoris lavacrum induta fu  
 isti: In Nomine Patris, Filij, & Spiritus  
 Sancti. AMEN.

*Absolutio impertienda Confrat  
 ribus Rosarij in Articulo  
 Mortis.*

**D**ominus noster JESUS CHRISTUS  
 Filius DEI vivi, qui B. Petro A  
 postolo suo dedit potestatem ligandi  
 atq; solvendi, per suam pijsimam mi  
 sericordiam recipiat Cōfessionem tu  
 am,

am, & remittat tibi omnia peccata  
quæcunq; & quomodocunq; in toto  
vitæ decursu commisisti, de quibus  
corde contritus & ore confessus es, re-  
stituens tibi stolam primam quam in  
Baptismate recepisti. Et per Indulgen-  
tiam plenariam à Summis Pontificibus  
Innocentio VIII. & Pio V. Confratri-  
bus Sanctissimi Rosarij in articulo mor-  
tis constitutis concessam, liberet te à  
presentis, ac futuræ vitæ pœnis, digne-  
tur Purgatorij cruciat<sup>o</sup> remittere, por-  
tas inferi claudere, Paradisi Januam  
aperire: teq; ad gaudia sempiterna per-  
ducere, per Sacratissima suæ vitæ, Pas-  
sionis, & Glorificationis Mysteria in  
sanctissimo Rosario comprehensa. Qui  
cum Patre & Spiritu Sancto Deus u-  
nus vivit & regnat in sæcula sæculo-  
rum. AMEN.



For-

1532

1532

1532



*Forma Absolutionis Generalis so-  
lita dari Chordigeris S. Francisci  
in Articulo Mortis.**Dicitur Confiteor &c. Sacerdos dicit. Misereatur &c. Indulgentiam &c.*

**D**ominus Noster JESUS CHRISTUS  
per merita suæ sanctissimæ Pas-  
sionis te absolvat, & gratiam suam tibi  
infundat: Et ego autoritate ipsius,  
ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum  
ejus, & Summorum Pontificum  
mibi in hac parte commissæ, & tibi con-  
cessæ, absolvo te ab omni vinculo Ex-  
communicationis majoris vel minoris,  
& interdicti, si quod incurristi, & re-  
stituo te unitati & communioni fide-  
lium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ.  
Item eadem autoritate absolvo te ab  
omnibus peccatis tuis, quibus contra  
DEUM fragilitate humana, vel malitia  
deliquisti, tibiq; relaxo omnes pœnas  
purgatorij, quas peccatis tuis com-  
missis meruisti, concedens tibi remis-  
sio-

tionem, & Indulgentiam plenariam  
omnium peccatorum, & cunctorum  
de quibus etiam non recordaris, aut  
oblitus fuisti in quantum claves Eccle-  
siae se extendunt, & restituo te illi in-  
nocentiae, in qua eras, quando bap-  
tizatus fuisti: In Nomine Patris, & Filij,  
& Spiritus Sancti. AMEN. Quodsi hac  
vice non decesseris reservo tibi hanc  
gratiam usq; ad extremum Mortis tuae:  
Articulum.

QUAESTIO XXX.

De Absolutione Sacramentali à Reser-  
vatis extra periculum vel Arti-  
culum Mortis.

Vicar. **P**enès quos arbitraris esse po-  
testatem absolvendi à reser-  
vatis?

Sa. Penès ipsum Reservantem, *item*  
penes Reservantis Superiorem aut Suc-  
cessorem, *item* penès habentem pote-  
statem delegatam à Reservante, vel e-  
iusdem Superiore aut Successore.

V. Qui-

Reservatis

Superiore

Successore